Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 569
Quelle:
Copyright:

col. 412. ubi *nota* A. reformatur *Lambecii* judicium. Eſt praeterea apud nos *Hiſtoria bellorum in Hungaria geſtorum imperante Rudolpho II. Caeſ. Rom. bona fide conſcripta*, quae *Capp.* XXXIII. ab an. 1592. ad. an. 1598. porrigitur, ultimo tamen *Cap.* imperfecta, quam *Ancanthero*, qui, uti dictum, Hiſtorici Caeſ. munus geſſit, facile tribuero. Inter plures demum Libros, qui ab eo ad Bibliothecam Caeſ. pervenere, notabilis eſt *Lycophronis Caſſandra* cum *Joh. Tzetzae Variis Hiſtoriis Baſileae* 1546. f. impreſſa, quam ille eruditis animadverſionibus paſſim enotavit. Solenne vero illi fuit ejusmodi Libris praeſcribere: Κλαυδίȣ Ἀγκανθήρȣ τȣ̃ Ἰατρȣσοφίſȣ κτῆμα; quo lemmate deceptus *Fabricius* eum *Bibl. gr.* L. V. c. 45. inter *Scriptores Graecos* retulit. Atque haec hactenus de Viro mihi innotuere, qui certe inter *Calmeti illuſtres Lotharos*, inque *Joecheri*, *Keſtneri* &c. Lexicis locum meruiſſet, dignus *Matthioli*, *Dodonaei*, *Jul. Alexandrini*, *Cratonis*, aliorumque Archiatrorum Auguſtal. conſortio. Ut tandem ad Codicem redeam, Tractatum περὶ Ψυχῆς Recentiores *Caveus*, *Cellerius*, *Oudinus Gregorio Neocaeſ.* abjudicant, et ad quendam medii aevi Philoſophum referunt. Incipit is: Τὸν περὶ ψυχῆς σοι λόγον ἐκέλευσας ἡμῖν, ὦ θαυμάσιε Τατιανέ, μετ' ἐνεργουσῶν ἀποδείξεων διαχαράξασιν ἀποſτεῖλαι. &c. Quod Noſter reddit: *Mandaſti nobis, Tatiane Vir ornatiſſime, ut non adumbratam ſed expreſſam de Animo diſputationem ad te mitterem* &c. Verſio *Marg. de la Bigne* in *Bibl. PP.* ſupracit. *Juſſiſti, praeclare Tatiane, vt ad te de anima perſpicuum et certum aliquid conſcriberem* &c. Verſio *Voſſii*: *Juſſiſti, praeſtantiſſime Tatiane, vt cum efficacibus argumentis ſiue demonſtrationibus ſermonem atque diſputationem de Anima tibi conſcriptam mitterem* &c. Denique Verſio *Nic. Nourry*, qui ab ſe Libellum noſtrum ἀνέκδοτον T. II. *Adparat. ad Bibl. max. PP. Pariſ.* 1697. p. 734. 8. vulgari putabat: *Juſſiſti nos, venerabilis Tatiane, ſermonem de anima inſtituere, validamque de ea tibi mittere demonſtrationem* &c. legit enim: μετ' ἐνεργοῦς ἀποδείξεως. Aſt in editione *ſecunda* Libellum omiſit. Poſtremum obſervo, Textum graecum a *Cod.* noſtro abeſſe, quamvis in Titulo promiſſus fuerit, extare vero *Cod. Graeco Theol.* XLV. diſerte *Gregorio Neocaeſ.* inſcriptum, ut habes *Lambec.* L. III. p. 63. edit. *Kollar. col.* 171.

CXCII. VII E 29.

Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. 138. f. Formae pene quadratae, nitide exaratus, literis omnium Titulorum majuſc. ſaepe rubricatis, ſervatusque, olim ad celeberrimam *Lauriſſenſem Eccleſiam* ſeu Coenobium *Laurishamenſe* pertinens, varia D. *Cypriani* ex Rhetore *Carthaginienſis* Epiſcopi, *Africae*que 347